UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

78. An Sacerdos obligatur dicere Missas D. Gregorij teneatur illas dicere sine interruptione, & omnes de Requiem? Ex p. 2. tr. 14. res. 32. ibid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

nicæ Reſurrectionis, non mihi placet; nam eſſet confundere Miſſas inter ſe, & Miſſa Sabbati Sancti ex inſtitutione non habet introitum.

RESOL. LXXVI.

An licitum ſit Regularibus in Feſtis duplicibus dicere Miſſas votiuas cum Gloria in excelſis Deo?

Et an ſit licitum Regularibus in Feſtis duplicibus Miſſas votiuas Spiritus Sancti, B. Virginis Mariæ, vel Defunctorum celebrare? Ex p.11. tr.2. & Miſc.2. Reſol.3.

Sup. hoc lege Reſolutiones not. penult. huius Reſ. & pro parte in tom.4.tr.1. ex Reſ.41. §.vlt. poſt mediũ, verſ. vnde infert. & in lin.4. ante finem huius Reſ.

§.1. AFfirmatiuè reſpondet Brunus *de priuil. Regul. part.2. tract.8. cap.1. prop.4.* vbi ſic ait, Regularibus licitum eſt in feſtis duplicibus Miſſas votiuas Spiritus Sancti, Virginis Mariæ, vel Defunctorum pro libito celebrare, & in eiſdem, ac aliis omnibus votiuis canticum Angelorum, ſeu Gloria in excelſis Deo, & etiam pro libito dicere. Duas habet partes hæc propoſitio: Prima priuilegium non eſt, ſed commune ius, quo non ſolum Regulares, verum etiam ſæculares vti poſſunt in Miſſis priuatis, vt tenent Suarez *de Euchariſt. diſp.83. ſect.3. & diſp.88. ſect.3. concluſ.1. maximè in §. in quo eſt.* Portell. *in addit. verb. Miſſa* §.8. *& alij*: Et probatur, quia alia ratio eſt de obligatione Sacerdotis, vt confirmetur feſto illius diei in recitando diuino Officio; alia verò vt confirmetur in dicenda Miſſa cum Rubricis Miſſalis. Hæ enim Rubricæ iuxta Doctores minus obligant, quàm aliæ, non enim eſt præceptum de Miſſa, aut tali Miſſa dicenda, ſicut eſt de Officio dicendo. Dixi priuatis, quia aliter in ſolemnibus aſſerendum iuxta *cap. Quidam, & cap. Creatura, de celebrat. Miſſ.* de quibus, & aliis vide citatum Suarez. Secunda autem pars propoſitionis probatur ex conceſſione Alexandri IV. facta Minoritis, per Bullam quæ habetur *in compend. priuil. Mendic. verb. Miſſa quoad modum* §.4. his præciſè verbis; Alexander IV. conceſſit Fratribus Minoribus, vt in Miſſis votiuis Spiritus ſancti, & Virginis Mariæ, Gloria in excelſis Deo, necnon Sequentiæ competentes tam in ſolemnitatibus cantare, quàm dicere poſſint in priuatis, non obſtante ſtatuto generali, videlicet Capite Concilium, extra de celebratione Miſſarum, in quo Pontifex Innocentius III. ſtatuit, vt in Miſſis commemorationis, ſeu votiuis licet dicatur propria præfatio, non tamen Hymnus Angelicus, ſeu Gloria in Excelſis, vt inter commemorationẽ, & ſolemnitatem differentia oſtendatur. Verum cum hæc conceſſio non extendatur niſi ad votiuas de Spiritu ſancto, & de Virgine Maria; alia conceſſio Sixti IV. adducenda eſt, quæ refertur à Roder. *tom.1. qq. Regul. q.43. art.15.* his verbis: Conceſſit Fratribus Minoribus de Obſeruantia, vt poſſint dicere in omnibus Miſſis votiuis Gloria in Excelſis Deo. Ita Brunus. Sed diſplicet mihi id quod aſſerit Brunus abſolutè licitum eſſe in feſtis duplicibus dicere Miſſas votiuas; nam hoc eſt illicitum, & ex Rubricis ſaltem venialiter peccaret; licet aliqui aſſerant mortaliter; & ſic docet ipſemet Suarez ab ipſo adductus; Et ideo me citato Dicaſtillus *de Sacrament. tom.1. tract.5. diſp.4. dub.14. n.273.* ſic aſſerit: Statuendum ſecundò, Quoſdam putare per ſe loquendo non eſſe licitum, Miſſam aliam celebrari ab eo, qui pro arbitrio ſuo poteſt dicere, & omittere Miſſam abſque obligatione; nam ſicut liberum eſt Miſſam dicere & omittere, ita etiam aliam celebrare. Quæ doctrina veriſſima eſt, ſi de obligatione ſub mortali agamus; neque enim videtur ſub mortali latum præceptum dicendi Miſſam de Feria, aut de Sancto, ita Suarius *diſp.83. ſect.3.* Reginald. *lib.26. num.208.* Syluester *verbo Miſſa.* Henriquez *lib.9. cap.23. n.5. in Commentario litt. H.* vbi plures alios refert, inter quos Sotum, & Medinam, quibus adde Dianam cum multis aliis, quos refert *2. part. tract.14. reſ.30.31. & 32. & 4. part. tract.4. Miſcell. reſol.39.* vbi docet id eſſe reprehenſibile, & affert aliquos, qui putant eſſe mortale contra nonnullos alios, Azor, etiam *loco cit.* dicit eſſe dubiam quæſtionem, quando fit ſine aliqua rationabili cauſa, & probabilius putat eſſe peccatum mortale. Vnde vt minimum concederet eſſe veniale. Hæc Dicaſtillus. Caueant ergo Sacerdotes præſertim ſæculares, imò & Regulares ex doctrina Patris Bruni in feſtis duplicibus Miſſas dicere, quia etiam Regulares de hoc non habent priuilegium, & vi Rubricarum ſaltem qui vtuntur Miſſali Romano, tenentur ſub peccato veniali in feſto duplici, & in Dominicis Miſſas votiuas non celebrare; ergo, &c.

Sup. hac diſplicentia ſignanter in Reſ. ſeq. & in alio verſ. eius annot.

Prima, & tertia Reſ. citatæ in hoc textu nunc hanc ſequẽtur, aliæ verò duæ hic ſunt ſupra Reſol.67. & 70.

Sup. hoc pro Regularibus lege verſ. à not. primæ huius Reſ.

RESOL. LXXVII.

Vtrùm Sacerdos, qui in diebus Dominicis, vel in aliis feſtis duplicibus celebrat aliam Miſſam votiuam v.g. vel de Requie, &c. peccet mortaliter? Ex part.2. tr.14. Reſ.30.

§.1. REſpondeo negatiuè. Ita Miranda *in Manuali Prælat. tom.1. q.41. art.21. concl.3.* Suarez *in 3. p. tom.3. diſp.83. ſect.3. concl.1.* Zanardus *in direct. Theol. part.1. de ſacram. Euchar. c.12. q.14.* Hier. Llamas *part.3. Methodi, cap.5. §.14.* & alij; quicquid in contrarium aſſerat Barthol. ab Angelis *in exam. confeſſ. dial.5. §.466.* & Angelus *ver. Miſſa, n.33.* Ratio eſt, quia ſicut Sacerdos poteſt liberè dicere, vel non celebrare Miſſam, ita etiam & aliam celebrare, & in rigore præceptum dicendi Miſſam v.g. de Sancto, de feria, &c. non videtur latum ſub onere peccati mortalis niſi aliud circumſtantiæ ſuadeant, & ſcandalum adſit, & ideo cum Villalobos *in ſumm. p.1. tractat.8. diſt.31. num.5.* non damnarem reum peccati mortalis, Sacerdotem illum, qui in diebus feſtiuis Apoſtolorum Virginis, & Domini noſtri, diceret aliam Miſſam.

Sup. hoc lege doctrinã Reſ. præteritæ, ſignanter ad medium, à verſ. Sed diſplicet. & in to.4. tr.1. Reſ.41. §.vlt. poſt mediũ, verſ. vbi docet.

RESOL. LXXVIII.

An Sacerdos obligatus dicere Miſſas D. Gregorij teneatur illas dicere ſine interruptione, & omnes de Requie? Ex p.2. tr.14. Reſ.32.

§.1. REſpondeo negatiuè, & præter DD. quos citat, & ſequitur Bonacina *de Sacrament. diſp.4. quæſt. vlt. punct.7. §.3. n.6. & 7.* tenet hanc ſententiam Homobonus de Bonis *in examine Eccl. p.1. tract.4. cap.14. q.127.* Quod non teneatur dicere Miſſas de Requie, patet ex dictis ſuperiori reſolutione. Quòd verò poſſit illas cum interruptione celebrare, patet. Nam Miſſarum obligationes, licèt ad locum relatæ interruptionem non admittant, tamen ad Sacerdotis perſonam relatæ ciuili modo, & moraliter intelliguntur, vt ſalua honeſtate, ac deuotione Sacerdotis quantum fieri poteſt, magis continuè celebrentur. Vide etiam Beiam *p.1. caſ.24.* Sed poſt hæc ſcripta inueni Gauantum *in comment. ad Rubric. Miſſal. tom.1. p.1. tit.5. lit. D,* contrarium docere, nempe valere quidem ſupradictas Miſſas ſi diſcontinuentur, ſed non vt eas quas inſtituit S. Gregorius: ſed tu

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tene cum ſupradictis DD. quibus adde Fraxinellum *de oblig. Sacerd. ſect. 8. concl. 6. §. 5. n. 1. & 2.*

RESOL. LXXIX.

An ſit laudabile Miſſam defunctorum, & officium ſibi applicari, decantari, & exequias celebrare, quaſi ipſe mortuus ſit? Ex part. 5. tract. 13. & Miſcell. 1. Reſol. 2.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 1. Reſol. 25. §. Sed hic obiter.

§. 1. DE hoc caſu olim interrogatus fui ab Excellentiſſimo Duce Alcalenſe huius Regni Protege; & morem hunc in Lotharingia vigere teſtatur Lucas Pinellus *de Miſſa part. 2. cap. 7. dub. 3.* quem ipſe defendit, atque etiam tuetur ac laudat Bartholomæus à S. Fauſto *de Sacram. Euchariſt. lib. 2. quæſt. 148.* ne fortè poſtea hæredes, vt ſæpè fit, negligentes ſint in huiuſmodi ſuffragiis faciendis. Hinc ex eadem ratione motus Laurentius de Pèytinis *in priuileg. Minim. tom. 3. cap. 1. num. 21.* docuit licere alicui facere ſibi celebrari officium, & Miſſam defunctorum dum viuit; & de Miſſa docet etiam Nauarrus *tom. 1. lib. 3. conſil. de celebrat. Miſſarum, conſ. 6.* Homobonus *in exam. Eccleſiaſt. part. 1. tract. 3. c. 14. quæſt. 127.* Zerola *in praxi Epiſcoporum, part. 2. verſ. Miſſa*, quibus adde Barboſam *in collect. Doctorum ad Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 3. n. 8.* qui tamen limitant hanc ſententiam, modò in Miſſa non dicantur illæ orationes, quæ ſupponunt aliquem eſſe iam mortuum, vt Oratio, *Inclina Domine*, in qua habentur hæc verba, *quam de hoc ſæculo migrare iuſſiſti*; & hoc ne mendacium committatur. Sed hanc limitationem non eſſe neceſſariam, putat Fauſtus *loco citato*, quia etiam in Miſſis de *Requiem*, quæ dicuntur pro iis, qui iam ſunt in Purgatorio, dicitur in Officio Miſſæ, *ne cadant in obſcurum, ne abſorbeat eas tartarus.* In qua oratione Eccleſia orat, ne animæ defunctorum ad pœnas ignis detrudantur, cùm tamen illæ iam in eodem igne ſint, & tamen dum ſic orat, nullum mendacium committit, quia ne committatur, ſufficit quòd Eccleſia repræſentet illas animas Chriſto ac ſi tunc eſſent agonizantes, & pro iis orat, vt à Purgatorij pœnis liberentur. Sic etiam in caſu, de quo loquimur, vt veritas ſalua perſiſtat, ſufficit ſi Sacerdos oret pro viuis, & repræſentet eos Chriſto Domino, ac ſi iam eſſent mortui: modus autem anticipatè loquendi vſitatiſſimus eſt in ſacris Scripturis.

2. Verùm ego contrariæ ſententiæ adhærendum eſſe puto, quam tuetur Layman *lib. 5. tr. 5. cap. 2. n. 15.* vbi ſic ait. Talem conſuetudinem nullo modo introducendam arbitror, ſed potius tollendam ſi introducta eſt, tum quia ritibus, & ordinationi Eccleſiæ Romanæ conformis non eſt, tum quia non video quam vtilitatẽ talis ſacrificandi modus habere poſſit. Nam ex ſacrificio duplex potiſſimùm fructus prouenire ſolet, vnus eſt ex opere operato & infallibilis, quatenus oblatio fit in Chriſti perſona, & hic fructus ſtatim prouenit ei, pro quo offertur, ſi capax eſt, nec poteſt in futurum ſuſpendi; conſequenter eiuſmodi ſacrificia non liberabunt hominem à Purgatorio, ſi contingat eum poſt mortem reum eſſe, ſed ſolùm conferent ad remiſſionem pœnæ temporalis conſequendam, dum viuus eſt, cuiuſmodi fructum etiam quis per alia ſacrificia ſimiliter conſequi poteſt. Alter eſt fructus, qui per modum impetrationis prouenit, quatenus cum ſacrificio iuncta ſunt Eccleſiæ ſuffragia, ſiue preces, & hæ quidem ſecundùm propriam tum inſtitutionem, tum ſignificationem referuntur ad ſolos mortuos, vt non niſi impropriè, & imperitè, ne dicam ſuperſtitioſè, viuis applicari poſſint. Accedit quòd Sacerdos in his ſuffragiis propria ſua intentione, non poſſit mutare intentionem Eccleſiæ. Intentio autem Eccleſiæ eſt, vt Miſſa, quæ dicitur de Requie, & Officium funebre dicatur pro mortuis; nam ad eum finem collectæ & preces factæ ſunt: ergo inutiliter, & infructuosè, ne dicam ſuperſtitiosè, dicuntur pro viuis, quippe præter, aut contra Eccleſiæ intentionem, & hæ ſunt rationes, quas pro ſua firmanda ſententia adducit *vbi ſuprà* Layman, quam ego libenter ſequor, & docet etiam Fraxinellus *de Sacerd. obligat. ſect. 4. præm. 4. §. 4.* licèt malè pro hac ſententia Nauarrum adducat.

3. Reſtat modò reſpondere ad argumentum Fauſti & Peyrini. Dico igitur ad vitandam negligentiam hæredum poſſe viuos ſibi applicare Miſſas de Sanctis, Miſſas pro remiſſione peccatorum, &c. quæ quidem Miſſæ fuerunt ab Eccleſia pro viuis inſtitutæ, & non Miſſæ de Requie, quæ ex inſtitutione, & ſignificatione ad ſolos mortuos referuntur, hoc enim eſt de directo contrariare ritibus Eccleſiæ Romanæ, & confundere eius ordinationes; diuerſa enim officia & Miſſas ipſa inſtituit & aſſignauit pro viuis, & pro defunctis.

4. Nec exemplum adductum à Fauſto de illis verbis, quæ in Miſſa de Requie dicũtur, *Ne cadant in obſcurum, ne abſorbeat eas Tartarus*, &c. valeat in fauorem ſententiæ, quam reprobamus, nam in illis verbis Sacerdos ſe accommodat ſenſui inſtituto, & intentioni Eccleſiæ, quæ ſic illam Miſſam pro iam mortuis ordinauit, & inſtituit. At in noſtro caſu Sacerdos ageret contra inſtitutionem, & mutaret intentionem Eccleſiæ. nam eius intentio eſt, vt Miſſa de Requie dicatur pro mortuis, & ad hunc finem preces & collectas compoſuit, pro viuis autem alia ſacrificia ordinauit, ergo, &c. Vnde contra Nauarr. & alios *vbi ſuprà*, etiamſi in Miſſa de Requie non diceretur oratio, *Inclina Domine*, vt mendacium euitaretur adhuc ex rationibus adductis dicendum eſt pro viuis Miſſam de Requie celebrare permittendum eſſe.

5. Nota tamen quòd poſt hæc ſcripta inueni Franciſcum de Nigro *in addit. ad Ruiz, p. 1. reg. 3. q. 5.* hanc quæſtionem pertractare, & pro ſententia quam ego ſuprà docui cum Layman, adducere etiam Puteum *de Sacram. Miſſæ, lib. 2. diſp. 4. q. 1. n. 2.* & P. Trimarchi, & ideo ita omnino tenendum eſſe puto.

RESOL. LXXX.

An Miſſa Regularibus conceſſa poſſit ab aliis dici in ipſorummet Regularium Eccleſiis?

Et quid de Miſſa Sanctiſſimi Roſarij? Ex p. 2. tr. 14. Reſol. 74.

§. 1. NEgatiuam ſententiam docui in caſu Miſſæ prima vice, nobis conceſſæ de B. Andrea contra nonnullos Theologos, *vt infrà, in tr. Miſcell.* videri poteſt; & ita declaraſſe ſacram Rituum Congregationem die 19. Nouembr. 1622. teſtatur nouiſſimè Gauant. *in comment. ad Rubr. Miſſ. tom. 1. p. 3. tit. 10. n. 16.* qui etiam *p. 4. tit. 15. n. 11.* notat, quòd vbi celebratur feſtum ſanctiſſimi Roſarij ex Decreto Greg. XIII. ne dicatur ea Miſſa, quæ nomine Roſarij circumfertur, quia conceſſa tantùm Ordini Prædicatorum à ſacra Rituum Congregatione die 25. Iunij 1622. & prohibita fuit aliis, eodem die, ſed fiat Miſſa vt in feſto ſanctæ Mariæ ad Niues, quod obſeruatur in æde Lauretana ex Synodo Diœceſana 1626. vel in Natiuitate, mutato nomine in Feſtiuitatis, quod fit Bononiæ, ſed illud prius magis placet. Ita Gauantus.